

Vane ergo attribuerunt Magi veteres DEI vnici actiones dæmonibus, qui ſunt ſolius DEI *le-*  
*hona* opera, & minime pro Diis ſunt habendi, Atque hæc eſt ratio Idololatriæ gentium, de qua men-  
tio facta eſt in fonte veritatis, vbi legitur, *Dæmonibus ſacrificauerunt non Deo, Diis quos non nouerunt,*  
*Deut. 32. 17.* Atque hæc eſt ratio, quod lex expreſſa data eſt contra dæmonum adorationem in deca-  
logi Moſaici primordio: & alibi Dæmonibus Sacrificia non eſſe præbenda admonemur, vti *Leuit.*  
*17. 7.*

Vane etiam influentiarum motus, virtutes, & operationes attribuerunt Astrologi aſtris ſeu  
ſtellis, & præcipue Soli & Lunæ, quæ ſunt ſapientiæ ſeu verbi Diuini opera ſine cuius dono viuifico  
exiſtere minime potuerunt: Nam iſte etiam error erat occaſio inſignis Idololatriæ inter gentiles  
& Ethnicos, verbi gratia, *Ægyptii* adorauerunt Solem, vtpote cuius domus & ſtatuas dictus eſt rex  
Babylonicus contriuiſſe, *Jerem. 43.* Porro etiam & in hunc errorem damnabilem inciderunt Iudæi,  
vnde dictum eſt, *Solis currum & equos ante templum Domini fuiſſe ablatoſ,* 4. Reg. 13. Et in alio loco teſtatur  
Biblicum, quod Solem Lunam & alia creauerit DEVS in miniſterium cunctis gentibus ſub cælo,  
ideo prohibuit ea adorari aut coli: mandatque Iſraelitis, vt non reſpiciant Solem, Lunam, aut ſtellas,  
aut vilam rem exercitus cæleſtis, vt incuruantes ſe eos colant, *Deut. 4.*

Quibus docemur, quod vt Deus eſt Solus author & actor in hoc mundo, ita ipſi ſoli & non  
rei creatæ eſt laus, honor, adoratio & cultus præbendus, atque quicquid nobis euenire poteſt aut  
mundo, non à creatura illud deriuandum, ſed à creatoris virtute, & emanationis ipſius actu, in crea-  
tura, & ab ea quaſi à vehiculo emiſſo prouenire credamus, cum ipſa creatura abſque ipſius actu ſit  
plane mortua, & nihil in ſe valoris aut exiſtimationis habens.

Sed quoniam eſt mundi mos influentias cæleſtes atque earum virtutes iuxta veterum Astro-  
logorum doctrinam à ſtellis deriuari affirmare, & conſequenter Arietem, Taurum, Geminos, Orio-  
nem, Coruum, Caſſiopeam & cætera inter ſtellas fixas, & Saturnum, Iouem, Martem, & Solem, & c.  
inter planetas cum gentilibus dicere, eſſe iſtius vel illius in aere, & terra, atque aqua alterationis  
cauſas, nos pro meliori legentium intellectu in ipſorum veſtigiis inſiſtemus, nominando & dicen-  
do planetas & ſtellas fixas eſſe cauſas tempeſtatum & meteorum, in aere, ſed ea nihilominus lege, vt  
ſemper in memoriis noſtris colligamus, non ſtellam à nobis nominatam, ſed influxum diuinum à  
portis diuinis Spheroticis emiſſum in Sphæram & corpus planetarum, qui ab Angelico ſuo miniſtro  
pro voluntate Enſoph ſeu paternæ infinitudinis in inferiora impluitur, vel ad pœnã vel ad bene-  
ficiẽtiam mortalium, eſſe effectuum omnis generis in aere, aqua, & terra procreatorum fontem  
atque originem.

Hiſ igitur à vero Chriſtiano in primis conſideratis, ad trianguli in Catoptro noſtro meteorog-  
raphico deſcriptionem atque explicationem viam properabimus, in qua prognofſticatio meteoro-  
logica per planetarum inter ſe aſpectus videlicet coniunctionem ſic figuratam  $\delta$ . oppoſitionem  
ſeu  $\rho$ . vel quadrilem ſeu  $\square$ . ad lunam luculenter exprimitur, Trianguli effigies infra depin-  
getur.

## C A P. II.

*De aeris mutationibus, De cometæ ortu, & tum poſtea, de variis aeris muta-  
tionibus ſecundum aſpectus.  $\delta$ .  $\rho$ . &  $\square$ . omnium planetarum tam  
ad lunam quam inter ſe.*

Astrologi dicunt, quod cauſa omnium ſpecierum Cometarum efficiens ſint ſtellæ, tam fixæ  
quam erraticæ, atque in genere nos monent, quod iſtiusmodi meteora, imitentur naturas Mar-  
tis & Mercurii: Vnde factum dicunt quod bellum, æſtum, & tumultum ſignificant: Similiter  
Ptolemeus in 2. Quadrup. vult vt etiam ſtellas conſideremus, quæ ſolent (vt ipſe habet) concitare  
materiam, hoc trahere eam ſuo motu, atque etiam docet obſeruare locum, ſeu ſignum Zodiaci ſub  
quo inflammetur.

Ad aeris autem mutationes varias in ventis, nubibus, pluuiis, niuibus, grandine, tonitru, co-  
ruſcationibus & aliis quod ſpectat, atque etiam ad trianguli meteorologici in Catoptro noſtro me-  
teorographico depiçti expoſitionem quod attinet, hoc accipite.

Saturnus